



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

10. S. Scholastica Virgo

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

## III.

**F**illi! dolores advertimus, & morbos  
in corpore? quid tum? patitur so-  
lum homo; gaudet verò Deus cum ani-  
ma. Inspiciamus Crucifixum, & eva-  
nescet omnis dolor cum tristitia. Quid  
enim omnis passio nostra ad paßionem  
Jesu? In manu nostra est, si velimus, fer-  
rum convertere in aurum. Sæpè cru-  
ces non sunt, quas credimus esse.

*Instructio meritoria.*

Dum hic patimur, redimimus, quæ  
sustinenda in vita altera. Pro gratiarum  
actione offeramus 33. *Pater & Ave*  
cum *Credo*. Tot enim annis pro nobis  
passus est Dei Unigenitus. Ah! & nos  
unâ horâ sub adversis, & minùs prævisis  
casibus fatiscimus! desperamus!

**Solemnitas Matris Matrum, &**  
**Sororis SS. Patris Benedicti Castis-**  
**simæ S. Scholasticæ Indulgen-**  
**tia plenaria.**

**EXHORTATIUNCULA I.**

**F**illi! congaudeat sibi de hodierna festi-  
vitate. Est enim dies Matris vestrae si-  
cut

cut castissimæ, ita & sanctissimæ. S. Scholastica hæc est, quæ vix novit mundum, & jam despicerat eum. Vita illius erat ipsa puritas; mors vero gloriofissima. Quis Scholasticam non veneretur, & diligit?

*Instructio meritoria.*

Contemptus facili, puritas vitæ, & bona mors ò quam nobis tria necessaria. Impetrabimus omnia per SS. Matris Scholasticæ merita. Ad Litanias igitur omnium Sanctorum ex Ord. S. P. Benedicti cum uno, vel altero S. rigoris actu. Rigorem amarunt Sancti & Sanctæ: Cur non & peccatores?

II.

**B**Enè, & sancte loqui nescimus, mi Filii! intremus scholam Benedictinæ Scholasticæ: Et docebimur satis. Totam noctem cum Fratre suo Sanctissimo consumpsit colloquendò de æternis gaudiis, & credidit, vix momentum fuisse. Citò transeunt tempora, ubi beatitudinis æternæ memoria.

*Instructio meritoria.*

Ars artium est inter homines conversari, & non in conscientia foedari. In honorem

norem S. Scholastica abstineamus ho-  
die à multiloquiis, vel discursibus minus  
statum decentibus, & animæ noxiis. Ne  
delinquamus in lingua, Psalmum : *Ver-*  
*bamea auribus percipe &c.* coram Cru-  
cifixo oremus cum 33. osculis terra!  
Aut nihil, aut parum dixisse, optabimus  
in morte.

## III.

**A** Gonizat Mater! Fili! subveniamus!  
At non indiget nostrum! jam avo-  
lavit ad cælum castissima columba.  
Mortua est Scholastica sine dolore. Non  
mirum: Nam dilexit multum. Sola  
puritas, & sincerus Dei, virtutisque  
amor alleviat mortis angustias. Quid  
agimus, si non ita vivamus?

*Instructio meritoria.*

Utramque virtutem imitemur in SS.  
Matre Scholastica, & per integrum  
octavam coram hujus Ara, vel S. iconem  
flectentes, minus illius *Officium*, vel  
*Litanias* recitemus sub quotidiana tesse-  
ra: *Monstra, te esse Matrem!*

Fe-

XXII. Februarii. Cathedræ S. Petri. 233

## Festum Cathedræ S. Petri Antioch.

### EXHORTATIUNCULA I.

**H**Æc dies, quam fecit Dominus pro gloria, & lætitia Nominis Christiani. Hodie S. Petrus primâ vice à fidibus renuntiatus est Vicarius Christi, & Pastor optimus Christianorum. Gratulemur Romanæ Ecclesiæ ! gratulemur & nobis, quia hujus vivimus electi filii, & discipuli ! Quid potuit vineæ suæ facere Deus, & non fecit ?

### Instructio meritoria.

Probemus nostram gratitudinem pro beneficio vocationis ad fidem catholica-  
cam per triplicem visitationem ecclesiæ.  
In prima recitemus officium SSS. Tri-  
nitatis. In secunda symbolum S. Atha-  
nasii : *quicunque vult salvus esse.* In  
tertia pro augmento ecclesiæ, extirpa-  
tione hæresum, & pace ac concordia  
Christianorum Principum i. s. Pater &  
Ave cum Credo. Pietate, & orationi-  
bus exaltatur Dei Ecclesia.

### II. O